ANIMADVERSIONES

IN

Sententiam CRELLIANAM

DE

SATISFACTIONE CHRISTI.

(3)

Authore

EDMUNDO ELISIO, *Coll. Ball.*
apud OXONIENSES quondam Socio.

LONDINI:

Typis *J. M.* Impensis *R. Wilkin*, ad Insigne Capitis Regis in Cœmeterio D. Pauli, 1699.

Animadverſiones, &c.

EGO ſanè non invideo iſtiuſmodi Scriptoribus, ſed ſummâ laude dignos eſſe exiſtimo, qui eleganti verborum copiâ Veritatem oppugnatam defendunt: ſed tamen ſi poſſem eos imitari, nollem: Nam certò novi Mei eſſe Officii infeſtiſſimos Veritatis Hoſtes *Verbo Premere ad Anguſtias* citò redigere, ut æqui Lectores facilè agnoſcant eos, ſi Mecum *Congrediantur*, nunquam eſſe cum fallaci aliquâ Cauſæ ſuæ *quaſi Triumphantis* Specie ad Populum *Evaſuros*: quod ipſi novimus non rarò eveniſſe; nempe cum perſpexerint *Sophiſtæ* inter Disputandum Latiorem Fallacias ſpargendi Viam.

Non Ego Animum induco GROTIVM Defendere, ſed iſtam ſummi apud omne Hominum genus momenti Veritatem: Dominum Noſtrum JESUM CHRISTUM Juſtitiæ Divinæ Pro Omnibus Omnium Hominum Peccatis SATISFECISSE; hoc eſt, Doloribus Suis Tantum Oſtendiſſe *Odium* DEI adverſus Omnia, & Singula Omnium Hominum Peccata, Quantum id eſſe Conſtaret ſi Unumquemque Peccatorum Supplicio Summo, & Æterno afficiendum DEUS OPT. MAX. Judicâſſet.

JOANNES CRELLIUS in *Reſponſione* Ad Librum HUGONIS GROTII, quem De SATISFACTIONE CHRISTI Scripſit, hæc verba habet *p.* 8. & 9. "Charitas Dei tanta Iram iſtam, quæ Mortis Chriſti cauſa "fuerit, & Deum ad repetendas Peccatorum no"ſtrorum Pœnas impulerit, prorſus evertit. Cui "enim, quæſo, Deus fuit Iratus? an Chriſto, Filio

" ſuo unigenito, innocentiſſimo, idque etiam tum,
" cum aggrederetur id opus, quod fuit hoſtia, &
" oblatio Deo in odorem ſuavitatis, & ob quod
" potiſſimùm dilectus, ac gloriâ coronatus eſt?
" An hominibus? at eos ingenti amore complecte-
" batur, & ut ii non tantùm impunitatem, ſed etiam
" æternam fœlicitatem conſequerentur, unicum, ac
" chariſſimum Filium ſuum Morti acerbiſſimæ tra-
" debat.

Reſpondeo DEUM non ODISSE Homines, ſed ſummâ BENEVOLENTIA eos eſſe complexum cum unicum ac chariſſimum Filium Suum Morti acerbiſſimæ tradidit: ſed tamen quàm maximè iis fuiſſe IRATUM, SALVATOREM ipſorum ſcilicet Perſonam INFINITÆ Dignitatis Propter Omnia, & Singula eorum Peccata Summis Suppliciis Cruciantem, ut INFINITUM eſſe Oſtenderet Suum *Peccati* cujuſcumque ODIUM.

" Imò, inquit *p.* 10. Charitas, illa Dei, quæ ſum-
" mam ipſius erga nos Beneficentiam complectitur,
" Satisfactionem iſtam prorſus evertit.

Reſp. *Prorſus evertit!* imò prorſus Confirmat Doctrinam Veram, ac Catholicam de *Satisfactione Chriſti*: Scilicet Coram *Angelis* & *Hominibus* Manifeſtum reddit JUSTISSIMUM DEI ODIUM in Omnia & Singula Omnium Hominum Peccata Excercitum: Et quid aliud hoc ſit, quàm SATISFIERI JUSTITIÆ DIVINÆ? Hunc ipſum Doctrinæ Chriſtianæ Articulum *Principalem* in Lucido Intervallo quodammodo Agnoſcit ipſe *Veritatis Salutiferæ* Inimicus *p.* 70.
" Reſtat, inquit, alter modus, quo ex Morte
" Chriſti perſpici poteſt quam graviter Deus ſit
" Puniturus Homines impios, atque in Peccatis per-
" ſeverantes. Is verò eſt ut conſideres cauſam ob
" quam Deus Chriſtum chariſſimum atque innocen-
" tiſſimum ſuum Filium in Mortem tradidit, nempe
" Peccata noſtra. Hinc enim manifeſtiſſimè appa-
" ret SUMMUM DEI adverſus Peccata ODIUM; ſi

quidem

" quidem Deus, ut ab illis nos penitus abſtraheret " unigenito ſuo Filio non pepercit. Ex quo facile " eſt intelligere, graviſſimas Pœnas manere eos, qui " in Peccatis perſeverant, & nec tantis Pietatis " propoſitis præmiis, nec tantâ erga ſe Dei Chari- " tate ab iis ſe abduci patiuntur. Reſp. Summum, inquit, Dei adverſus Peccata Odium. Sed ex ultimis Chriſti ob Peccata Hominum Suppliciis non appareret Summum eſſe DEI adverſus Peccata Odium, niſi eſſet *Infinitum*: nec *Infinitum* eſſe conſtaret, niſi ipſe *Chriſtus eſſet Verus, & Æternus Deus*, cujus Perfectio, ac Gloria Eſſentialis eſt *Infinita*. Hæc *Fides* Animis noſtris ingerit Summam, quæ concipi poſſit, ac maximè Efficacem Notionem, ſeu Cogitationem de Odio DEI adverſus Omnia, & Singula Omnium Hominum Peccata. Huc Animos advertite, CRELLIANI; Vos oro, & obteſtor ut hæc veſtri Magiſtri verba dignemini cum illis *Apoſtoli* conferre: quæ pleniſſimum Fulgorem exhibent iſtiuſmodi Veritatis, cujus ipſe aliquantulam Scintillulam è longinquo proſpexit, *Ep. ad Rom.* Cap. 3. V. 24, 25, 26. Δικαιούμενοι δωρεὰν τῇ αὐτοῦ χάριτι διὰ τῆς ἀπολυτρώσεως τῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ. Ὃν προέθετο ὁ Θεὸς ἱλαστήριον διὰ τῆς πίστεως ἐν τῷ αὐτοῦ αἵματι, εἰς ἔνδειξιν τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ, διὰ τὴν πάρεσιν τῶν προγεγονότων ἁμαρτημάτων, ἐν τῇ ἀνοχῇ τοῦ Θεοῦ. Πρὸς ἔνδειξιν τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ ἐν τῷ νῦν καιρῷ, εἰς τὸ εἶναι αὐτὸν δίκαιον, καὶ δικαιοῦντα τὸν ἐκ πίστεως Ἰησοῦ.

" Juſtificati gratis per gratiam ipſius, per redem- " ptionem, quæ eſt in Chriſto Jeſu: Quem propo- " ſuit Deus propitiationem per Fidem in Sanguine " ipſius ad Oſtenſionem Juſtitiæ ſuæ propter re- " miſſionem præcedentium Peccatorum in ſuſtenta- " tione Dei. Ad Oſtenſionem Juſtitiæ ejus in hoc " tempore, ut ſit ipſe Juſtus, & Juſtificans eum, " qui eſt ex Fide Jeſu.

Ad Oſtenſionem Juſtitiæ ſuæ. Per Juſtitiam hoc in loco intelligere debemus Summam MISERICORDIÆ

Lenitatem, ſimul ac Summam Justitiæ Severitatem. Per *Redemptionem* Hominum rabidiſſimæ Peccandi, hoc eſt Deo opt. max. Repugnandi Libidini deditorum, fit Clariſſima Oſtenſio, ſeu Demonſtratio Summæ Misericordiæ Lenitatis: Per Immenſum *Redemptionis Pretium*, Domini, ac DEI Noſtri *Jeſu Chriſti Sanguinem*, fit Clariſſima Demonſtratio Summæ Justitiæ DEI Severitatis, nempe Justissimi Odii Divini adverſus Omnia, & Singula Omnium Hominum Peccata Exerciti. Hinc recte dicitur *Juſtitiæ Divinæ* Satisfieri Per Mortem Christi. Ut ſit "ipſe (Deus) Juſtus, inquit *Apoſtolus*, & Juſtificans "eum, qui eſt ex Fide Jeſu: hoc eſt, ut Deus Sum-"mam, ſeu *Infinitam Juſtitiæ* Severitatem Oſtendat adverſus Omnia, & Singula Omnium Hominum Peccata: Et tamen illi Peccatori *qui eſt ex Fide Jeſu*, qui totam ſuam Fiduciam reponit in JESU, ut ipſum Salvum faciat à Peccatis ſuis, Det Remiſſionem Peccatorum, & Poteſtatem fieri DEI *Filium*, Patrem Noſtrum, *qui eſt in Cœlis* per Inſpirationem Spiritus Sancti ex toto Corde ſuo, & ex totâ Animâ ſuâ, & ex totis viribus ſuis, & ex totâ Mente ſuâ peramantem in Æternum.

P. 71. "Apparet Deum ante Paſſionem Chriſti, "Odium quod in ipſo fuerit adverſus nos, ſponte "depoſuiſſe, & nos inſigniter amâſſe, cum, ut noſtræ "emendationi, ac ſupremæ fœlicitati conſuleret, "chariſſimum Filium tantis malis ultrò ſubjecerit.

Reſp. *S. Scripturæ* clariſſimè teſtantur Deum non depoſuiſſe Odium, quod adverſus nos in ipſo fuerit, niſi *per Sanguinem* Christi *Agni* ſcilicet Occisi *jam inde à jactis Mundi fundamentis*, Ἀρνίς ἐσφαγμένς ἀπὸ καταβολῆς κόσμυ.

P. 237. "Vindictæ ratio, quæ Pœnæ forma eſt "in Innocentem jure cadere non poteſt.

Reſp. Mihi non videtur operæ pretium eſſe litem cum aliquo habere de ſignificatione hujus vocabuli,

Pœnæ

Pœnæ. Concedit Crellius Peccata noſtra Cauſam fuiſſe ob quam Deus Chriſtum in Mortem tradidit, atque hinc manifeſtè apparere Summum DEI adverſus Peccata Odium. Velim ut etiam Agnoſcat DEI Odium, quod in *Morte Chriſti* adverſus Peccata Oſtendit, Verè, & Abſolutè Summum eſſe, nempe *Infinitum.* Tantum *in Morte Chriſti* adverſus Peccata Odium Oſtendi non potuiſſet, niſi ipſe *Chriſtus Naturam* habuiſſet *Divinam Infinitè* Sapientem, Potentem, Bonam.

P. 300. " Id proculdubio ſibi voluit *Grotius*, " Deum etiam ante Chriſtum ad *Pœnas* Æternas " Hominibus condonandas, Satisfactione, quam is " præſtiturus eſſet, motum fuiſſe, ſed id alto Scrip- " turarum eâ de re ſilentio refellitur.

Reſp. *S. Scripturæ* altâ voce Annunciant hanc ſummi momenti Veritatem : Eos, quibuſcunque Ante Chriſtum Natum Peccata ſua Remiſſa erant Per ipſum Chriſtum Moriturum, Favorem DEI fuiſſe aſſequutos : nam Chriſtus eſt Agnus ille Occisus *jam inde à jactis Mundi Fundamentis.* At " inquit *Crellius* P. 306. Potuit idcirco dici Chri- " ſtum Occiſum fuiſſe ab ipſis Mundi primordiis, " quia Deus jam tum, ut is mactaretur, decreviſſet " quo pacto *Paulus* dicit datam nobis fuiſſe gratiam per Chriſtum Jeſum ante tempora æterna 2 Tim. 1. 9. quia eam Deus jam tum nobis dare decreviſſet.

Repl. Hoc nullo modo refellit vim noſtræ Reſponſionis. Nam per *Decretum* DEI, quod *Chriſtus eſſet Moriturus* ob Peccata Hominum, id ipſum *Gratiæ* exhibuit *Pater Miſericordiarum* Hominibus qui Ante Chriſtum Natum in Mundo fuerunt, quod jam Nobis exhibere dignatur *per Effectum* ejuſdem *Decreti.*

P. 318. " Deus ipſe Filium ſuum dedit, aut ut " *Paulus* loquitur, pro nobis omnibus tradidit: quo- " modo ergo hoc pretium accepit, quod ipſemet " impendit? an ſibi ipſe ſolvit, aut Satisfecit?

Resp. Imò Deus ipse sibi solvit, & SATISFECIT in eo, quod Filium suum Unigenitum INCARNATUM Mundo exhibuit, ut Semetipsum in *Cruce* DEO Offerret Sufficientissimum *Sacrificium*, quo Tantum Ostenderet Odium adversus Peccata Hominum, Quantum Ostendi potuisset, si Universi Peccatores Morti Æternæ traditi fuissent. Hinc patet omnino invalida, & inepta esse ista *Crellii p.* 334. Nihil ad " convellendum argumentum nostrum ex Condo- " natione peccatorum ductum facit, quod Scrip- " tura nos dicat redemptos; nec magis id quod pre- " tio emptos dicat, & Christum se, aut Carnem suam " dedisse, nempe ad nos liberandos: cum ea nullam " solutionem, & sic nec satisfactionem Deo præsti- " tam arguant. Alias sequeretur Deum ipsum, à " quo pretium, & impendium ad nos liberandos " datum, factumve est, sibimet ipsi solvisse, ac sa- " tisfecisse.

Hoc Altâ Voce iterum, & sæpiùs Prædicamus, atque utinam nos Audiret *totus Orbis Christianus.*

Odium Divinum adversus Peccata nostra Immensum, seu verè *Infinitum* esse Ostendi nihil aliud esse quam Infinitæ adversus Peccata nostra JUSTITIÆ DEI Severitati SATISFIERI.

P. 338. " Si Deus pro Peccatis nostris, pleniſſi- " mè sibi Satisfieri curavit, perit illa Dei Benefi- " centia, quam Sacræ Literæ prædicant, quòd no- " bis gratuitò peccata omnia condonaverit, & om- " nia debita nostra remiserit.

Resp. Negamus Consequentiam. Nam Deus GRATUITO, nec Aliunde, quam ex *Infinitâ Suâ Misericordiâ*, Cujus non nisi *In Filio suo Unigenito Naturam nostram Assumente* vel aliâ *Viâ* ÆQUIVALENTI Soli DEO Cognitâ, *Capaces* fuimus, Deus, inquam, GRATVITO pro peccatis nostris pleniſſimè Sibi SATISFIERI Curavit. Profectò iste CRELLIUS *Spiritui Sancto* Adversatur, qui Scrutatur Τὰ Βάθη τοῦ Θεοῦ. " Nec sanè

" *Grotius*

" *Grotius*, inquit *p.* 349. etiamsi asserat illas ipsas " locutiones, quas rejicit *Socinus*, in sacris Literis " reperiri, id demonstravit. Demonstravit quidem " scriptum esse Christum nos Deo reconciliâsse " & ἱλάσκεσθαι peccata nostra, aut esse ἱλασμὸν pro pec- " catis nostris, aut ἱλαστήριον quæ omnia nos agnosci- " mus; sed nusquam ostendit scriptum *Christum recon-* " *ciliâsse nobis Deum*, aut *Dei Iram placâsse.*

Dira Cœcitas, Affectata Ignorantia! Quis, nisi qui Mentis oculos sibi eripuit, in hisce verbis, Ὃν ὁ Θεὸς προέθετο ΙΛΑΣΤΗΡΙΟΝ, non Videat hunc Sensum: Deum *Christum* Proposuisse Talem, ut quicunque in Illo totam suam Fiduciam reponit, ut ipsum *Salvum faciat à Peccatis suis*, *ut Spiritu Sancto* adductus Sanctitatem usque ampliorem assequatur, hunc Sanctè Precantem Deus semper Audiverit, ut Precantem Audiit *Publicanum:* Ὁ Θεὸς ΙΛΑΣΘΗΤΙ μοι τῷ Ἁμαρτωλῷ. *Ira*, quatenus ab *Odio* distinguitur, nihil aliud est, quam Volitio exigendi ab aliquo Supplicium, ut in posterum ab omni Culpâ toto Animo abhorreat. *Odii* est Perdere, *Iræ* Corrigere, seu Emendare. Christus in quantum nos *Spiritu Suo* Sanctificat, seu facit ab omni Crimine ac Culpâ, ab omni Peccato cujuscunque generis abhorrere rectè dicitur *Reconciliare nobis Deum*, *seu Dei Iram Placare.*

P. 373. " Cum Apostolus ostendat mortem " Christi ex ingenti Dei erga nos Charitate " profectam; *Grotius* statuit Deum morte Christi " ex infesto redditum nobis propitium: ita quod " mortis causam dicit Apostolus, *Grotius* effectum " statuit.

Resp. Non nisi Per Mortem Christi, vel aliam Viam Æquivalentem Soli Deo Cognitam, *Deo Reconciliari Potuimus.* Hinc constat tam *Mortem Christi*, quàm *Ejus Effectum*, *Reconciliationem* Nostram profi-

proficiſci ex ingenti Dei erga nos Charitate in ipſo Chriſto GRATIOSE Exhibitâ.

P. 375. " Ubinam apud *Apoſtolum* eſt mentio " ejus rei, quòd Decretum non imputandi ſit in " Chriſto fundatum ?

Reſp. *Ep. ad Eph.* Cap. 1. V. 4. Ἐξελέξατο ἡμᾶς ΕΝ Αὐτῷ (Χριστῷ.)

P. 449. " Non ita concludit *Socinus*; Divinitas " Chriſti non eſt paſſa: Ergo in pœnæ conſidera- " tionem non venit: ſed Ergo Paſſio ipſius ex eo " quod Deus Æternus fuerit, vim - infinitam non " habet.

Reſp. Negamus Conſequentiam ob hanc rationem, Quod Paſſio ipſius *Chriſti* Paſſio fuerit Perſonæ *Infinitæ* in *Naturâ Humanâ*, ideoque Vim habuit *Infinitam*, ut oſtenderet Odium DEI adverſus Omnia & Singula Omnium Hominum Peccata eſſe *Infinitum.*

Faxit Deus Opt. Max. ut Nos ſemper Memores Dei erga Nos Benevolentiæ, atque Odii adverſus Peccata Noſtra, quorum Utrumque in *Morte Chriſti* clariſſimè Oſtendit Nobiſmet ipſis non Vivamus, ſed *Illi*, *qui pro Nobis Mortuus eſt*, & *Reſurrexit.*

Hæc Carmina de Morte Chriſti Publici juris feci *A. D.* 1662, nunc iterum Typis mandari volui, cum nonnulla mihi Spes ſit ea Divinæ Voluptatis aliquantulum eſſe allatura iſtiuſmodi Lectoribus, qui *æquè pretioſam Nobiſcum ſortiti ſunt Fidem in Juſtitiâ Dei Noſtri, & Salvatoris Jeſu Chriſti.*

GOOD FRIDAY.

I.

THIS Day Preſt with our Sins The MOST HIGH Fell!
Leſt he ſhould Feed *on Us,* CHRIST Satiates *Death*
With His own Blood Quenching *the Flames of Hell,*
Enkindled by the Fire *of's Father's Wrath.*
To make Atonement for our Sins GOD *Dies:*
Our JESUS *is* GOD, Prieſt and Sacrifice.

II.

Lo, how the haſty Jews *cry* Crucifie!
Lo, how they Judge The HOLY ONE *to Death?*
Whoſe Attribute is Immortality.
Lo, how they Murther Him, who gave them Breath!
The King of Glory *Suffers* Shame! *and He*
That made the World is Hang'd *upon a* Tree.

III. *Lo,*

III.

Lo, how they Nail unto the Croſs *His* Hands,
Who Spans the Heav'ns! *how His* Feet *they Pierce,*
Who Over Hell *and* Death *Triumphant Stands:*
Whoſe Boundleſs Preſence *Fills the* Univerſe!
How the ALMIGHTY *every* varlet Scorns!
Lo he by whom Kings Reign is Crown'd with *Thorns*!

IV.

Lo, how they Wag their Heads, and Mock *Him there*
Where He Feels All his ſo long Fear'd Diſtreſs!
His Torments are ſo great as Man *can bear,*
The Angry God-head *will not make them leſs:*
When He thought that ſtood off, *Grief Fill'd his Heart!*
Curs'd Sin! for which GOD, *and* CHRIST *ſeem'd*
to Part!

V.

He Bow'd his Head, *on which ſo Heavy lay*
The Sins of Adam, *and all* Adam's *Seed*;
Which by his Death *He did* Revive *this Day*;
To Heal *our Wounded Souls His Limbs did* Bleed.
LORD, *I Believe: let me Partaker be*
Of Thy Deaths Power that I may Live to Thee.

I.

CRiminibus noſtris Cœlo Sublimior Alto
Oppreſſus *Cecidit:* Proprio nunc Sanguine CHRISTUS,
Nè nos *Appeteret* Mortem *Satiavit*, eodem
Horrendæ Flammas Extinguens ipſe Gehennæ.
Expiet ut *Culpas Hominum* Moritur DEUS: Ipſe
Oblatus JESUS Noſter, DEUS, atque *Sacerdos.*

II.

En, Σταυρωθήτω Clamant (Temeraria Turba!)
En Judex Morti nunc SANCTUM tradit Iniquus;
QUI Fatum Superat, Cui Mortis Janua Clauſa eſt!
Dant *Letho*, *Vitam* Cunctis qui præbuit, Ipſum!
Dedecus en Patitur, Summa eſt Cui Gloria! *Ligno*
Suſpenſus, Totum Qui Solus Suſtinet Orbem!

III.

Qui *Prendit* Cœlos, huic Clavis *Dextera* foſſa eſt!
Illius ecce *Pedes* Ferrum defigit Acutum,
Qui Dirum *Infernum Calcat*, Mortemque Subactam;
Cujus & *Immenſa* eſt, Implens *Præſentia* Cuncta.
Hunc Spernit Vulgus, Cui nexa eſt Summa Poteſtas!
En REGI REGUM Impoſita eſt *Spinoſa Corona!*

IV.

En *Flagris*, *Spinis*, *Clavis*, & *Scommate Sciſſum!*
Omnia quæ Metuit jam tandem Triſtia Paſſum!
Quos HOMO ferre poteſt, Omnes fert Ille Dolores:
Nec DEUS Iratus gravia hæc Tormenta levabit.
Hunc Clamans Luctus toto haurit Pectore! Dirum
Peccatum! DEUS, & CHRISTUS Diſtare videntur!

V.

Jam *Caput Inclinat* tanto ſub Pondere Preſſum:
Nam Peccata Hominum Cunctorum Cuncta ferebat:
Quos Hodie fecit Moriendo Vivere; noſtras
Ut Sanet Mentes, propriis fert Vulnera Membris.
Mi DEUS Hæc Credo: Fac, O Chariſſime JESU
Ut Tibi, pro Nobis Morienti, Vivere Poſſim.

ΈΡΧΟΥ ΚΥ΄ΡΙΕ ΄ΙΗΣΟΥ.

FINIS.